BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315 Seite 143v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



dominus deus. Post finem xl. annorum congregabo egyptum de populis in quibus dispersi fuerant. et reducam captiuitatem egipti. et collocabo eos in terra phatures in terra natiuitatis sue. et erunt ibi in regnum humile. et inter regna cetera erit humillima. et non eleuabitur ultra super nationes. et imminuam eos ne imperent gentibus. neque erunt ultra domui israel in confidentia. docentes iniquitatem ut fugiant et sequantur eos. et scient quia ego dominus deus. Et factum est in xx. et vii. in primo. in una mensis. factum est verbum domini ad me dicens. fili hominis. nabuchodonosor rex babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersum tyrum. Omne caput decaluatum. et omnis humerus depilatus est. et merces non est reddita ei. neque exercitui eius dextro. pro seruitute qua seruiuit michi aduersus eam. Propterea hec dicit dominus deus. Ecce ego dabo nabuchodonosor regem babylonis in terra egipti. et accipiet multitudinem eius. et deprendabitur manubias eius. et diripiet spolia eius. et erit merces exercitui illius. et operi pro quo seruiuit aduersus eam. et dedi ei terram egipti pro eo quod laborauerunt michi. ait dominus deus. In die illa pullulabit cornu domus israel. Et tibi dabo apertum os in medio eorum. et scient quia ego dominus deus. Cap. xxx.

Et factum est verbum domini ad me dicens. fili hominis. prophetia et die. Hec dicit dominus. Ululate ve ve diei. quia iuxta est dies. et adpropinquat dies domini. Dies nubis tempus gentium erit. et ueniet gladius in egiptum. et erit pauor in ethyopia. cum ceciderint uulnerati in egipto. et ablata fuerit multitudo illius. et destructa fundamenta eius. Ethyopia. et lybia. et lidii. et omne reliquum uulgus. et chub. et filii terre federis cum eis gladio cadent. Hec dicit dominus deus. Et corruent fulcientes egiptum. et destruetur superbia imperii eius. a turre syenes gladio cadent in ea. ait dominus exercituum. Et dissipabuntur in medio terrarum desolatarum. et urbes eius in medio ciuitatum desertarum erunt. et scient quia ego dominus. cum dedero ignem in egipto et attriti fuerint omnes auxiliatores eius. In die illa egredientur nuntii a facie mea in terribus. ad conterendam ethyopie confidentiam. et erit pauor eius in die egipti. quia absque dubio ueniet. Hec dicit dominus deus. Et cessare faciam multitudinem egipti in manu nabuchodonosor regis babylonis. Ipse et populus eius cum eo fortissimi gentium adducentur ad dispergendam terram. Et euaginabunt gladios suos super egiptum. et implebunt terram interfectis. Et faciam alueos fluminum aridos. et tradam terram in manu pessimorum. et dissipabo terram et plenitudinem eius in manu alienorum. ego dominus locutus sum. Et dispergam simulacra. et cessare faciam ydola de memphis. et dux in terra egipti non erit amplius. Et dabo terrorem in terra egipti. et dispergam terram phatures. et dabo ignem in memphis. et faciam iudicia in alexandria. Et effundam indignationem meam super pelusium robur egipti. et interficiam multitudinem alexandrie. et dabo ignem in egipto. quasi perturiens dolebit pelusium. et alexandria erit dissipata.

hec d. d. d.